

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Epistolarvm [epistolarum] D. Philippi Melanchthonis  
Farrago**

**Melanchthon, Philipp**

**Basileae, 1565**

**VD16 -M3220**

Iacobo Micyllo S.

[urn:nbn:de:bsz:31-312770](#)

353

Ipero Deum, qui hæc à te officia requirit, defensu-  
rum te esse. Idq; ut faciat, eum ex animo precamur.  
Vale.

Iacobo Micyllo S.

F. p. 229.

Cum policeretur Princeps se scholam cōfirmā-  
turum esse, uidebam nobis in primis opus aliquo,  
qui non infelicius carmen conderet, ut ad illius i-  
mitationem se comparent adolescentes eloquentiæ  
candidati. Nam mihi quidem de nullo disciplinariū  
genere recte iudicaturus uidetur, qui poetiken non  
attigit: uideo q; in soluta oratione scribēda frigere  
illos, qui non degustarunt poticen. Porrò genus  
uersuum tuorum semper unicè amavi. Quare de te  
accersendo diligenter agebam, cupiebamq; ea in re  
publicis literarum studijs consulere, quibus in hac  
frequentia nostræ scholæ te nonnihil opis afferre  
posse arbitror. Nam Francofordianæ scholæ suffe-  
cerit aliquis plebeius lector. Verè iurare possum,  
hoc unum mihi in consilio esse, cur te in Saxoniam  
redire tanto pere cupiam. Vides autem mi Micyl-  
le, quanto in discrimine sint nostræ literæ, nisi sum  
ma ope à tuis similibus defendantur. Quare te ite-  
rum per quicquid possum, perq; hunc literarū sta-  
tum rogo, ut si honestè queas, commigres ad nos.  
Nam quod excusas, uereri te ut sit ad prælegendū  
satis magna extemporalis facultas, uerecundè tu  
quidem: sed nos non tam prælectionis causa te ac-

z      cerfui-

cer suimus, quam ut tua consuetudine fermentur  
hi, qui ad poetica idonei erunt. Non satis perspicis  
consilium nostrum, si quem uideas professore, qui  
sophistico more uulgo suam garrulitatem ostendit.  
Et quanquam uideam istud tuum genus soluta orationis propter subtilitatem ad docendum & scho-  
las appositum esse, & uelut τὰ τοῖς τῷρεπ λεπτολογημα  
των. Hoc agimus, ut habeat iuuentus, ad cuius ex-  
emplum uersus assuecat facere. Eobanus Norin-  
bergam accersit satis honesta conditione, alio-  
qui huc inuitassimus. Ceterae disciplinae habent tole-  
rables professores in hac urbe. Sed mihi tota scho-  
la sordebit, nisi mihi tui copia contigerit. Sine igitur  
Rempub. hoc abs te impetrare, ut operam tuam  
nobis addicas: et cum te Reipub. nomine uocamus,  
puta te cœlesti aliqua uoce inuitari ad honestissi-  
mam prouinciam. Bene uale.

Marco Marcello S. D.

Francofordie uenerunt ad me hi adolescentes  
Argentoratenses, commendati mibi multorum ho-  
nestorum virorum literis. Fuerunt autem aliquan-  
diu Tubingæ, sed inde propter difficultatem anno-  
næ discidunt: & quod arbitratur in Academia fre-  
quentiori inuenturos se maiorem assiduitatem pre-  
legentium, & disciplinarū uarietatem. Daturi sunt  
operam studijs eloquentiae & philosophiae: sed ita,  
ut